

INDEX CHRONOLOGICUS PONTIFICUM,

Quorum Bullae in hac Tomi Quinti Parte Quarta continentur.

Paulus V.	An. 1611.	habet Const.	CXLV.
Gregorius XV.	An. 1621.	habet Const.	XLIX.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici
Magistro.

F. M. de Rubeis Patriarch. Constant. Vicefg.

IMPRIMATUR,

Fr. Joseph Augustinus Orfi Ordinis Prædicatorum S. Palatii
Apostolici Magister.

CON-

AN. CH.
1611.

I AN. CH.
1611.



CONSTITUTIONES PAULI QUINTI ANNO VII.

CLXXII

*Ex Regest. in
Secret. Brev.*

Inhibetur Jesuitis, & Fratibus Ordinis Minimorum Bisuntinae Civitatis, ne facultates in Universitate Studii generalis Oppidi Dole ejusdem Bisuntinae Diocesis legi solitas, in dicta Civitate doceant, nisi pro suis respective Religiosis.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam vel memoriam.

Exordium.



Edula Romani Pontificis providentia uberes fructus, quos studiorum generalium Universitates in Vinea Domini adferre solent, attente considerans, illarum conservationi propensius

studiis intendit: Catholicorumque Principum illud idem anhelantium votis libenter annuit, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

*Pius V., &
Sixtus V. U-
niversitatem
Bisuntinam,
erigi permis-
ere.*

§. 1. Sane postquam sel. recor. Pius V. & successive Sixtus etiam V. Romani Pontifices Praedecessores Nostri supplicationibus tunc existentium Senatorum Bisuntin. sibi tunc humiliter porrectis inclinati eisdem Senatoribus, ut in dicta Civitate, & loco ad id convenienti, & apto, unum Collegium Scholarium cum Dote, Ecclesia, vel Cappella, structuris, aedificiis, cameris, & locis simili Collegio convenientibus, & necessariis, in quo aliquot Praeceptores, seu Doctores, qui inibi publice Theologiam, & Jus tam Canonicum, quam Civile, ac Philosophiam, & Medicinam profiterentur, ac docerent, sub certis modo, & forma tunc expressis erigere, & instituire possent, facultatem apostolica auctoritate respective concesserant, seu indulserant.

*At idem Pius
V., & Gre-
gorius XIV.
ob proximi-
tatem Aca-
demie Dolae.*

§. 2. Et subinde tam dictus Pius Praedecessor, quam similis memor. Gregorius Papa XIV. informati, quod in Oppido Dolensi Provinciae Burgundiae a praedicta Ci-

vitae octo leucis, vel circa tantum distanti, insignis, & antiqua Universitas studii generalis instituta erat, & occasione erectionis Collegii in dicta Civitate, gravia, & irreparabilia damna, scandala, mala, & inconvenientia verisimiliter oriri poterant; Pius V. suam ipsius, & Gregorius Sixti V. concessionem hujusmodi revocaverant, cassaverant, & annullaverant.

*si d. Univer-
sitatem Bisun-
tinam suppetini
decreverant.*

§. 3. Nos supplicationibus dilectorum, filiorum nobilis Viri Alberti Archiducis Austriae, ac Rectoris, Magistrorum, & Scholarium dictae Universitatis nobis postmodum humiliter porrectis inclinati, revocationem, cassationem, & annullationem dicti Gregorii Praedecessoris, & desuper concessas literas perpetuo confirmavimus, & approbavimus, illisque perpetuae, & inviolabilis apostolica firmitatis robor adieci-
mus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenissent, supplevimus, prout in diversis Praedecessorum, & Nostri desuper concessis literis plenius continetur.

*Quas secun-
do dictas lites
ras confirmas-
vit Paulus V.*

§. 4. Cum autem, sicut dilectorum Alberti Archiducis, & Rectoris, ac Magistrorum, nec non scholarium dictae Universitatis nobis expositum fuit, in dicta Civitate Bisuntina unum Collegium Presbyterorum Societatis Jesu, & una Domus Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula instituta reperiantur, & tam Presbyteri dicti Collegii, quam Fratres praedictae Domus non solum Philosophiam, verum etiam Theologiam publice profiteri, ac docere, seu legere in maximum dictae Universitatis praedictae aggressi fuerint, id non sibi regularem vitam professis, sed Praeceptoribus, & Doctoribus secularibus ex dictarum literarum tenore vetitum esse, forsitan allegantes, adversus Praedecessorum, & nostram voluntatem.

*Cum vero Je-
suits, ac Mi-
nimi suis in-
Domibus Bi-
suntinis Phi-
losofiam, ac
Theologiam
legrent.*

§. 5. Nos damnis, & scandalis, ac malis, quae inde oriri possent, occurrere cupientes, Praedecessorum praedictorum vestigiis inhaerentes, ac singularium literarum, praedictarum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, dicti Al-

*Idem Paulus
id eis pro suis
Religiouis et-
tun licite de-
cecurt.*

A berti

berti Archiducis, & Rectoris, ac Magistro-
rum, nec non scholarium praedictorum sup-
plicationibus Nobis denuo humiliter porre-
ctis inclinati, Presbyteris Regularibus So-
cietatis Iesu, & Fratribus Sancti Francisci
de Paula Minimis nuncupatis, ne de caetero
perpetuis futuris temporibus ex quavis cau-
sa in dicta Civitate Philosophiam, aut sa-
cram Theologiam publice, vel secreta,
praeterquam suos Religiosos respective do-
cere, seu legere, ac profiteri audeant, seu
praesumant, sub indignationis nostrae, & ex-
communicationis ipso facto incurrendis
poenis, auctoritate apostolica, tenore praesen-
tium interdiciamus, & prohibemus.

Claufula.

§. 6. Sicque, & non aliter per quoscum-
que Iudices ordinarios, & delegatos, etiam
causarum Palatii Apostolici Auditores ju-
dicari, & definiti debere, ac irritum, &
inane, quidquid fecus super his a quoquam
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter
contigerit attentari, decernimus.

Derogatio
contractu.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque Con-
stitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis,
ac Societatis, Ordinis, nec non Collegii,
& Domus praedictorum etiam juramento,
confirmatione apostolica, vel quavis firmi-
tate alia roboratis Statutis, & consuetudi-
nibus, privilegiis quoque, indultis, & literis
apostolicis Societati, & Ordini, ac Colle-
gio, & Domui praedictis, illorumque Super-
rioribus, Presbyteris, & Fratribus, ac qui-
busvis aliis personis sub quibuscumque teno-
ribus, & formis, ac cum quibusvis clausu-
lis, & decretis in contrarium praemisorum
quomodolibet concessis, confirmatis, &
innovatis. Quibus omnibus, & singulis,
etiamsi de illis specialis, specifica, expressa,
& individua mentio habenda foret, illorum
tenores praesentibus pro expressis habentes,
hac vice dumtaxat specialiter, & expresse
derogamus, caeterisque contrariis quibus-
cumque.

Dat. die 17.
Junii 1611.
An. VII.

Datum Romae apud S. Matcum sub An-
nulo Piscatoris die 17. Junii 1611. Pontifi-
catus Nostri Anno VII.

CLXXIII.

Declaratur, Fratres Congregationis Joannis
Dei, in Regnis Hispaniarum, tria vota
substantialia, & quartum serviendi Infirmis
in suis Hospitalibus emittere, & sub
regula S. Augustini, Ordinariorumque
correctione, & obedientia degere debere,
verosque propterea Religiosos, & Regu-
lares esse censendos.

*Congregationem hanc approbavit Pius V.
in Constit. CXC. Licet. Tom. IV. Par. III
fol. 190. Reformavitque Clemens VIII. in
Constitut. CXXXIV. Romani Pontificis.
Tom. V. Par. II. fol. 122. Paulus V. in Con-
stitut. CXXXI. Inter alias. Tom. V. Par. III
fol. 363.*

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex circa sacrarum Re-
ligionum, & Congregationum, ac

etiam Hospitalium, & aliorum piorum lo-
corum salubrem directionem, & felicem
progressum ex demandate sibi apostolice
servitutis officio intentus, ea, quae desuper a
Praedecessoribus suis facta fuisse comperit,
partim approbat, & confirmat, partim ve-
ro aliis iustis causis ita suadentibus alterat,
& immutat, aliasque ejusdem officii sui par-
tes favorabiliter interponit, prout rerum,
locorum, temporum, & personarum quali-
tate pensata, conspiciunt in Domino salubriter
expedire.

§. 1. Dudum siquidem cum Congregatio
Joannis Dei sub regula S. Augustini in Repu-
blica christiana introducta, & subinde apo-
stolica auctoritate recepta, atque admissa
fuisset, ac gratia cooperante divina per va-
rias partes multiplicatis illius Fratribus mi-
rabiliter propagaretur, & quamplurima
Hospitalia ex congestis Christifidelium ele-
mosynis construeret, in eisque innumera-
biles Christi pauperes utriusque sexus, vide-
licet senes, mentecaptos, membrorum, &
virium impotentia, atque debilitate laboran-
tes, aliasque miserabiles personas pro eorum
morbis, & infirmitatibus etiam incurabili-
bus sublevandis, refrendendis, & sanandis,
continuo reciperet; Diversi interim Roma-
ni Pontifices Praedecessores nostri Congre-
gationem hujusmodi in eadem Republica
Christiana, pauperum, & infirmorum hujus-
modi subventioni apprime utilem, ac per-
sonarum inibi sub illius habitu eisdem pau-
peribus, & infirmis caritative deservientium
opera apud Deum valde meritoria fore
animadvertentes, ac ipsius Congregationis
felici successui, & salubri regimini, atque
directioni intendentes, illis nonnulla privile-
gia, gratias, & indulta benigne conce-
serunt.

Huius Con-
gregationis,
Romani Pon-
tificis, nonnulla
gratias elar-
giti fuerunt.

§. 2. Siquidem fel. rec. Pius V. Praede-
cessor noster, hoc praestantissimum genus of-
ficii, infirmos in Hospitalibus existentes ad-
juvandi, certior factus per tunc existentem
confratrem Majorem nuncupatum, Hospi-
talis Joannis Dei nuncupati Granatensis, Or-
dinis S. Augustini, in dicto, & nonnullis aliis
ad instar illius erectis Hospitalibus pie exer-
ceri, concessit licentiam, & facultatem pro
tempore existentibus Fratribus dictorum
Hospitalium deferendi certum habitum tunc
designatum, elemosynasque colligendi, &
de earum administratione singulis annis lega-
le computum loci Ordinario, in quo Hospi-
talia hujusmodi consistenter, reddendi, dum-
modo sub regula S. Augustini, & sub obe-
dientia Ordinarii ejusdem loci, in quo ipsa
Hospitalia existerent, degerent, nonnullaque
alia, quoad eosdem Fratres, eorumque Hospi-
talia ordinavit.

Pius V. habi-
tum Fratribus
praecipit,
elemosynas
colligendi pro
Hospitalium
subventionem
licentiam co-
cessit, Ordini-
nario in quo
obedientia
subiecit.

§. 3. Et deinde fel. record. Sixtus Papa V.
Praedecessor noster, cum plerique eorum
tria vota substantialia, ac quartum de juven-
dis infirmis emitterent, nec Generalem, nec
Constitutiones, aut certum vivendi modum
haberent, omnia Hospitalia Joannis Dei nun-
cupata, tam in Italia, quam in ceteris qui-
busvis Provinciis, etiam Transalpinis exi-
stentia, invicem univit, ac unam Congrega-
tionem

Sixtus V. eos-
dem in unam
Congregatio-
nem univit,
Provinciaeque
distinguenti
& Generalem
eligendi fa-
cultatem con-
cessit.

tionem Confratrum Joannis Dei nuncupatam
erexit, ac in Hospitali S. Joannis Calavita de
Urbe Capitulum generale dictorum confrat-
rum de mense Maii tunc proxime venturo
celebrandum indixit, ac Provincias distin-
guendi, & Generalem eligendi, aliaque de-
super faciendi licentiam, & facultatem
concessit.

Clemens
VIII. unum
ab his Fratri-
bus infirmi-
endi Hospi-
talis sub Or-
dinariis
obedientiam
votum emitti
decevit.

§. 4. Et post eos fel. record. Clemens
Papa VIII. sperans Fratres dictae Congrega-
tionis, quorum plerique tria vota substantialia
religionis, ac etiam quartum de juven-
dis infirmis emittebant, nulla professione praeter-
quam Hospitalibus, & infirmis inibi ser-
viendi per eos emissa, sub obedientia Ordina-
rii locorum quietius, & tranquillius
victuros, ac delinquentes sine scandalo, aut
nota aliqua ex locis, ubi degerent, sic ex-
pelli posse, per ejus literas in forma Brevis
confectas, sub Dat. die 13. Februarii, Pon-
tificatus sui anno primo, inter alia perpetuo
statuit, & ordinavit, quod de caetero Fratres
Congregationis hujusmodi, unum dumtaxat
infirmis praedictis Hospitalibus sub obe-
dientia Ordinarii votum emitterent, prout
in ipsis literis plenius continetur.

Major autem
Hospitalium
in Regnis Hi-
spaniarum ex-
ponit non ob-
stante decreto
Clem. VIII.
Fratres tria
vota, & etiam
quartum de
juven-
dis infirmis emittent
& eos Con-
gregationis
manus sub re-
gula S. Augu-
stini obire
salubrius esse.

§. 5. Cum autem, sicut dilectus filius Petrus
Frater Major Hospitalium, & locorum
dictae Congregationis in Regnis Hispaniarum
constitutorum, Nobis nuper exposuisset, li-
tera Clementis VIII. praedictae in Hospi-
talis, & locis Regnorum hujusmodi, nonnullis
tamen iisque paucis exceptis, quoad hoc num-
quam executioni demandatae, nec effectum
suum sortita fuerint, immo post eas Fratres
praedicti tria vota, & quartum de juven-
dis infirmis emittere, prout antea fere in omni-
bus suorum Hospitalium locis perrexerint,
idque etiam nunc observent, uti illisque, &
salubrius, ac bono regimini ipsorum, & Hospi-
taliu gubernationi conducibilis esse ex-
perti fuerint, quin progressu temporis expe-
rientia docente compertum sit, Fratres dictae
Congregationis, qui inibi sub regula S. Augu-
stini degerent, & ultra receptionem atque ser-
vitium infirmorum, proprium ipsius Congre-
gationis institutum, etiam normam in eadem
Regula praescriptam, ad instar illius professu-
rum, sedulo observare, eisque insistere digno-
scuntur, si pariter a laculo abscederentur, &
eidem Congregationi per emissionem trium
votorum ultra quartum de juven-
dis infirmis religionis penitus auctoritate apostolica man-
ciparentur, ea ratione servitium, & assisten-
tiam dictorum infirmorum, aliaque munia
eis ex instituto Congregationis hujusmodi ju-
giter incumbentia expeditius, & salubrius ob-
turos, ac propterea aequum, & suae vocationi
congruum fore, eos etiam ad emissionem su-
praedictorum votorum per Nos, & Sedem
Apostolicam admitti.

Hic ergo
Pontifex
in illis
Regnis sic pro-
fessionem
emittere de-
bere, decernit.

§. 6. Nos igitur, qui similia opera pia, &
meritoria Deo accepta ministerio nostri pa-
storali officii libenter promovemus, de con-
silio dilectorum filiorum nostrorum Pompeii
S. Balbinae Arrigoni, Jo. Garzia SS. Quatuor
Coronatorum Millini, Michaelis S. Bartho-
lomei in Insula S. R. E. Presbyterorum Car-
dinalium Nazareni nuncupatorum, quibus
Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

hoc negotium sedulo examinandum, & de-
inde nobis referendum commisimus, circa
praemissa, ac etiam alia dictae Congregationis
laudabile institutum concernentia, prout ex
ejusdem officii debito tenemur, maturius di-
sponere cupientes, ipsumque Petrum a qui-
busvis &c. censentes, necnon Ordinationes,
statuta, privilegia, gratias, & indulta hujus-
modi, ac tam super eis confectarum, quam
supradictarum ejusdem Clementis Praedeces-
soris literarum tenores etiam veriores, atque
inde sequuta quaecumque praesentibus pro
expressis habentes, supplicationibus dicti Petri in
ea parte inclinati, de Nobis attributa potesta-
tis plenitudine, praesentium tenore perpetuo
statuimus, & ordinamus, quod ex nunc per-
petuis futuris temporibus, in Hospitalibus, &
locis Regnorum hujusmodi, quae proprium
Confratrem Majorem eorum regimini, &
Administrationi, sub jurisdictione tamen, &
visitatione Ordinarii praefectum habere con-
sueverunt, illi videlicet, qui haec tenore eis no-
men suum dederunt, & inibi ultra annum
steterunt statim reliqui autem, & qui in pos-
terum in eis habitum suscipient, anno eorum
probationis elapso, ac aliis jura sacrarum
Canonum, & decretorum Concilii Tridentini
praescriptum tria vota ante dicta, videlicet
obedientiae, castitatis, & paupertatis, ac in-
super quartum votum serviendi infirmis in
uorum Superiorum manibus solemniter
emittere omnino teneantur.

Et sic profes-
sos, vere, &
proprie reli-
giosos, & regu-
lares esse
declarat.

§. 7. Hujusmodi autem personas, qua-
elapso probationis anno quatuor praedicta
vota solemniter emisserint, vere, ac proprie
Religiosos, ac proprios, & veros Regulares
esse, ac pro talibus ab universis Christifide-
libus habendos, & recipiendos, illamque ve-
ram, & propriam sub regula S. Augustini Re-
ligionem esse, ac inter reliquas Ecclesiae Ca-
tholicae Religiones esse connumerandam.

Eos autem ad
habitum, &
professionem,
qui pro nu-
mero infir-
morum, ne-
cessarii erunt,
dumtaxat ad-
mitti praeci-
pit.

§. 8. Non liceat autem Superioribus dicto-
rum Hospitalium, & locorum plures inibi ad
habitum, aut professionem admittere, quam
quot pro numero infirmorum, aliarumque
miserabilium personarum illuc recurrere so-
litarum, illarumque ministerio necessarii
fuerint.

§. 9. Praeterea eisdem Hospitalibus dicto-
rum Regnorum, ut deinceps in eorum sin-
gulis duo Fratres Presbyteri manere, & ali
possint, qui confessiones tam infirmorum,
quam aliorum Confratrum, & Ministrorum
inibi audire, & inuncta sibi poenitentia salu-
tari, eos a peccatis suis absolvere, illisque
Sanctissimae Eucharistiae, & extremam Unctio-
nis sacramenta ministrare, libere, & licite
valeant, ac aliis verbo, & exemplo praere
debeant, auctoritate, & tenore praedictis con-
cedimus, & indulgemus.

In singulis
Domibus Hospi-
taliu duos
Presbyteros
admitti posse
concedit.

§. 10. Caeterum omnia Hospitalia, & loca
eorundem Regnorum, illorumque personas,
& Superiores, etiam quod personae Religiosae
sint, ac etiam dictum Confratrem Majorem,
& quemcumque alium pro tempore existen-
tem, jurisdictioni, superioritati, visitationi,
& correctioni Ordinariorum locorum perpe-
tuo subesse, Ordinariolque in loca, & perso-
nas hujusmodi, quoad causas civiles, & cri-
minales,

Omnes au-
tem jurisdic-
tionem Ordina-
riorum
supponit.

minales, & mixtas, tam in visitatione quam extra, plenam potestatem, facultatem, & auctoritatem perpetuis futuris temporibus habere, ac ratione omnium, & singulorum bonorum, proprietatum, & rerum, tam mobilium, quam immobilium decimas, primitias, novalia, & alia onera quomodolibet nuncupata solita, & consueti quibuscumque locorum Ordinariis, Monasteriis, Domibus, Capitulis, Hospitalibus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque personis, & locis, quibus ea colligendi jus competit, & ad id per opportuna juris remedia cogi, & compelli, nisi privilegio apostolico, vel legitima prescriptione haecenus observata muniantur, nec deinceps contra jurisdictionem, & superioritatem Ordinarium, aut solutionem decimarum, primitiarum, novalium, & aliorum onerum praemissorum, ullo umquam tempore quantumvis longissimo praescribere, aut praescripsisse dici, vel censeri.

Et si esset Hospitalitas eorum locorum administrationem ad Ordinarios spectare deberet.

Et durante Hospitalitate quotannis locorum Ordinarios Fratres rationem reddere jubet.

In praedictis tamen aliis iuribus non praescribere debet.

Huius concessionis praeservatas clausulas subdit.

Contrariis que derogat.

§. 11. Quinimo, si quando in hospitalibus, & locis antedictis hospitalitas defecerit, eosdem Ordinarios illa, eorumque bona per Fratres huiusmodi, aut alias personas etiam saeculares administranda, ita quod Hospitalia, & loca, illorumque bona praedicta nullatenus unquam dictae Congregationi incorporentur, committere, & demandare posse, ac etiam debere volumus, decernimus, & declaramus.

§. 12. Immo dum dictorum Hospitalium administratio ad ipsos Fratres pertinebit, teneantur omnino singulis annis sua administrationis rationem Ordinario reddere ad Tridentini Concilii praescriptum.

§. 13. His tamen, quae superius in quacumque parte concessimus, declaravimus, & ordinavimus, Universitatum, Collegiorum, aut singularium personarum quarumcumque iuribus qualibuscumque, siquae illis super dictis Hospitalibus, bonis, personisve etiam ratione Cappelliarum, vel aliorum beneficiorum ex fundatione, dotatione, vel aliis legitime competat, ullo pacto praedictatum, vel praedictum ullum quantumvis minimum illatum esse, non intendimus: idque expresse declaramus, & pro declarato, ac in qualibet huius dispositionis parte pro repetito haberi volumus, & mandamus.

§. 14. Decernentes praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari ullatenus posse, sed semper validas, & efficaces existere, & fore, suorumque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Iudices &c. subblata &c. irritumque &c.

§. 15. Non obstantibus fundationibus, & institutionibus Hospitalium, & locorum huiusmodi, ac dicta eiusdem Clementis Praedecessoris, aliisque Apostolicis, necnon in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Hospitalium, locorum, & Congre-

gationis huiusmodi Juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, etiam si &c. de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub anno Piscatoris die 7. Julii 1611. Pont. Nostri Anno Septimo.

Dat. die 7. Julii 1611. An. VII.

CLXXIV.

Mandat Capitulo Ecclesiae Paderbornen., ut ad electionem Coadjutoris cum futura successione procedat in regimine, & administratione dictae Ecclesiae.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Paderbornen.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecti filii, salutem, & apostolicam benedictionem.

Inter pastoralis nostrae sollicitudinis curas, quibus assidue premimur, haec praeter ceteris cordi nostri insidet, ut providendum, ne Cathedrales Ecclesiae Pastoris solatio destituta aliqua in spiritualibus, vel temporalibus detrimenta patiantur.

Exordium.

§. 1. Accepimus siquidem, quod Ecclesiae Paderbornensi magnopere interest, propter pericula praesentium, quae illi imminerent, si Pastore viduata ad successoris electionem deveniendum foret, ut Venerabili Fratri Theodoro Episcopo Paderbornen. coadjutor cum futura successione eligatur.

Causa eligendi Coadjutorum.

§. 2. Quare Nos pro nostro pastoralis officii debito dictae Ecclesiae statui consulere volentes, Vobis, ad quos, occurrente vacatione ipsius Ecclesiae, per cessum, vel decessum illius Episcopi pro tempore existentis, electio persona idonea in Episcopum eiusdem Ecclesiae, juxta Concordata inter Sedem Apostolicam, & nationem Germanicam inita, spectare dignoscitur, apostolica auctoritate, tenore praesentium committimus, & mandamus, ut quamprimum fieri poterit, quibuscumque impedimentis semotis, capitulariter congregati, aliquem etiam extra vestri Capituli gremium, etiam aliarum similium Ecclesiarum Praesulem, vel in earum regimine Coadjutorem cum futura successione a Sede Apostolica deputatum, seu etiam alium, qui alias postulandus esset, zelo tamen, & puritate catholicae fidei cum morum probitate, & prudentia spectatum in Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem dicto Theodoro

Mandat Capitulo, ut illum eligat.

Epi-

Episcopo in regimine, & administratione praedictae Ecclesiae Paderbornen. in spiritualibus, & temporalibus cum futura successione eligatis. Nos enim Vobis ad electionem huiusmodi deveniendi, aliaque circa electionem huiusmodi necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, & exercendi licentiam, & facultatem, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & impertimur.

Obstantia tollit.

§. 3. Non obstantibus generalis Concilii, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, eidem Ecclesiae, ejusque Praesuli, & quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, aut aliis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, ac etiam innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis specialis mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 23. Julii 1611. An. VII.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Anno Piscatoris, die 23. Julii 1611. Pontificatus nostri Anno VII.

CLXXV.

Episcopo Paderbornensi: In idem argumentum.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Venerabili Fratri Theodoro Episcopo Paderbornen.

PAULUS PAPA QUINTUS

Venerabili Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium a sollicitudine Praesulum suorum Ecclesiarum desumptum.

Redemptor Noster Unigenitus Dei Filius Christus Jesus inter cetera, quibus transiturus ex hoc mundo ad Patrem ineffabili charitate intravit Ecclesiam suam, pater sancte, quos dedisti mihi, inquit, custodivi, & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis; ut Nos videlicet (quod probe novit Fraternitas Tua) omnesque doceret, quibus ministerium custodiendi Ecclesiam suam creditum est, ut ita gregem custodiamus, ut, quantum est in Nobis, illum servemus, animas etiam ipsas nostras, si oportuerit, dando, nullam alioquin excusationem habituri, si vel Nobis nescientibus, lupus oves comedet. Quanto ergo minus, si illum venientem viderimus, &

dimiserimus gregem, quasi ad Nos de ovibus non pertineat, quarum sanguinem de manibus nostris Dominus requiret. Quae sane cogitare, & praestare semper, & nunc maxime oportet Nos quidem, quibus universi gregis custodia, nullis licet nostris suffragantibus meritis commissa est, pro sollicitudine, quam cunctis Ecclesiis debemus, Fraternitatem vero Tuam in partem sollicitudinis nec modicam vocatam pro officii debito erga proprium gregem.

Necessitates Ecclesiae Paderbornensis recenseat.

§. 1. Quantis enim, & qualibus in periculis constituta nunc sit Ecclesia Tua Paderbornen., longe melius novit Fraternitas Tua, quae praesens est, & venientem turbinem adspicere potest, quam Nos, ad quos ista omnia deferuntur: nec dabimus quin Fraternitatem Tuam maxime sollicitam nunc habeant huiusmodi imminente mala, quae Nos ingenti timore trepidare absentes compellunt. Non enim de unius ovibus, pro qua tamen bonus Pastor nonaginta novem dimisit in deserto, sed de universi gregis salute agitur, cui si occurrere omni conatu omiserimus, quis non videt inter mercenarios potius, quam inter Pastores Nos numerandos esse, & futurum, ut dici jure possit, venisse Nos, non ut servarem gregem Nobis commissum, sed ut perderemus? Perdit quippe, qui cum servare teneatur, si potest, non servat, aut servare omnibus viribus non conatur.

Seque Capitulo mandasset, ut Episcopum Coadjutorem eligat.

§. 2. Quamobrem ne culpam huiusmodi tanto cum detrimento salutis, & honoris incurreremus, quod unum esse accepimus remedium, pro munere nostro adhibendum duximus. Reliquum est, ut Fraternitas etiam Tua pro suo similiter pastoralis munere, quidquid in se est, faciat, & nobiscum efficiat. Nos enim dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Tuae Paderbornen. commissimus, & mandavimus, ut ad electionem Coadjutoris Tui quamprimum veniant, sperantes, fore ut Ecclesiae necessitatem, ac solius Dei honorem, & gloriam spectantes, cum virum eligant, qui catholicae religionis zelo, & aliis rebus possit, & velit fidem catholicam, & Ecclesiam Paderbornen. conservare, ac promovere.

Episcopum ut opem ad id suum praestet hortatur.

§. 3. Nunc igitur Fraternitatis Tuae erit, non solum consensum opportunum praestare, sed etiam negotium ita juvare, & fovere, ut se tale Pastorem praestet, quem Dominus pro Pastore agnoscat, & quem se semper ostendit, ac res desiderat. Quod etsi facturam pro Tua prudentia, catholicae religionis zelo, & erga gregem tuae fidei commissum caritate, plane confidimus, tamen ne alicujus officii praetermissi in tam gravi re argui possimus, eandem Fraternitatem Tuam ex toto corde nostro hortamur, & per viscera Jesu Christi enixe requirimus, ut partes tuas hoc tempore impleas, tuumque honorifices ministerium, ut in extremo examine, tamquam fidelis servus, & Domini imitator, eidem Domino dicere, quantum homini fas est, valeas: quos dedisti mihi, custodivi, & cum essem cum eis, servabam

cos

Dat. die 23.
Julii 1611.
An. VII.

eos in nomine Tuo. Quod Tuae Fraternalitati, ut concedat Deus, precamur, & apostolicam benedictionem impertimur.
Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 23. Julii 1611. Pontificatus nostri Anno VII.

CLXXVI.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Capitulum Ecclesiae Monasteriensis hortatur, ut Archiepiscopo Coadjutorem eligat.

Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Monasterien.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilecti filii, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Officii pastoralis cura, quam nostram humilitatem gerere, nullis nostris meritis, voluit divina dignatio, cogit Nos, omnium Ecclesiarum statui, & necessitatibus sollicite providere.

Ad vacationis evitanda pericula ut Coadjutorem eligi curet, Archiepiscopum se admonuisse refert.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, magno opere interfit Ecclesia Monasterien., ut ad electionem Coadjutoris Ven. Fratris Ernesti Archiepiscopi Colonien. in regimine, & administratione Ecclesiae Monasterien., cujus administrator ad sui vitam apostolica auctoritate deputatus existit, hoc tempore deveniatur, propter gravia, quae illi impenderent pericula, si occurrente illius vacatione, electio hujusmodi celebranda esset; propterea pro nostri officii debito, ad eundem Ernestum Archiepiscopum, & Administratorem scribimus, ut Coadjutorem cum futura successione istius Ecclesiae quamprimum petat, Vobisque ad eisdem Coadjutoris electionem veniendi, & virum religionis catholicae zelo, prudentia, & aliis virtutibus, ac donis praestantem etiam extra gremium Capituli vestri, etiam si postulandus esset, eligendi auctoritate apostolica facultatem concedimus, & indulgemus, prout in literis in simili forma Brevis ad eundem Ernestum Archiepiscopum, & Administratorem scriptis plenius continetur.

Ad id Capitulum hortatur.

§.2. Sed licet Nos de vestra in Deum sincera pietate, & erga Ecclesiam Monasterien., cui deservitis, debita charitate fiduciam in Domino habentes, non dubitemus, quin vos imminencia mala cernentes, sponte vestra facturi sitis, tamen quia nostri muneris erat, cohortandos Vos in Domino vehementer, quod facimus, existimavimus, & enixe requirendos, ut ad electionem Coadjutoris perpetui cum futura successione hujusmodi absque mora veniatis, eumque eligatis, qui hoc munere ad Dei gloriam, & Ecclesiae istius utilitatem fungatur, firmam in Domino spem habentes fore, ut & vestro officio, & nostrae expectationi ita respondeatis, ut omnibus appareat in re, ubi Dei honor maxime agitur, quae Dei sint, tantum quaesivisse, &

apostolicam vobis benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die 23. Julii 1611. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 23.
Julii 1611.
An. VII.

CLXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Provincia de Pernambuco in Indiis Occidentalibus disjungitur ab Ecclesia S. Salvatoris, & in Vicariam perpetuam erigitur.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

IN supereminenti militantis Ecclesiae specula, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes, ad universa orbis loca potissimum omnipotentis Dei misericordia per Catholicos Reges, & Principes fidei catholicae praedicationi, & introductioni patefacta aciem nostrae meditationis reflectimus, & ut in locis hujusmodi in dies magis plantetur, & plantata confirmetur Christi religio, eorumque Incolae, & Habitatores propriorum pastorum assistentia, & regimine suffulti proficiant semper in fide, & operibus christianis, opem, & operam libenter impendimus efficaces, prout eorumdem Regum exposcit devotio; Nosque locorum, & rerum circumstantiis mature pensatis, ad fidei orthodoxae conservationem, & propagationem, animarumque salutem, & profectum conspicimus in Domino salubriter expedire.

Provincia de Pernambuco Ecclesiae Sancti Salvatoris olim attributa.

§.1. Alias siquidem in partibus Indiarum Occidentalium Cathedralis Ecclesia Sancti Salvatoris apostolica auctoritate erecta, & illi pro parte Dioecesis, & Cleri, ac Populi Provincia de Pernambuco vulgo nuncupata concessa, & assignata fuit.

Cause etiam sejungendi, & in Vicariam perpetuam erigendi.

§.2. Cum autem, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae, & Algarbiorum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, pro tempore existens Episcopus Sancti Salvatoris ob dictae Provinciae de Pernambuco distantiam, marisque incommodum, ac difficilem, & dispendiosam navigationem, Piratarumque illic discurrerentium periculum cura, regimini, & administrationi sui gregis in dicta Provincia consistentis, prout ejus pastorali officio incumbit, non sine illius salutis dispendio intendere nequeat; Hincque Incolae, & Habitatores dictae Provinciae, nec fidei doctrina, nec pie vivendi praeceptis instrui, nec si quid deliquerint, corrigi ab Episcopo suo possint, & propterea, si dicta Provincia de Pernambuco a praedicta Ecclesia S. Salvatoris separaretur, & dismembraretur, illaque sic dismembrata, & separata in Vicariam, seu administrationem spirituales Provinciae de Pernambuco nuncupandam pro uno Vicario, seu administratore in spiritualibus Provinciae de Pernambuco nuncupando, qui inibi omnimodam spiritua-

lem

Eam itaque separat Paulus, & a quocumque Episcopo S. Salvatoris superioritate liberat.

lem, & ecclesiasticam, ac ordinariam, & quasi Episcopalem Jurisdictionem tam in foro interiori, quam exteriori haberet, & exerceret, erigeretur, & institueretur, ex hoc profecto Provincia de Pernambuco hujusmodi felicioribus proficeret incrementis, illiusque Cleri, & Populi praedictorum salutis, & dictae fidei profectui, & exaltationi, divinique cultus incremento, & tot incommodis, & animarum periculis opportune consulere. Quare idem Philippus Rex Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eandem Provinciam ab Ecclesia, & Dioecesi Sancti Salvatoris hujusmodi perpetuo separare, & dismembrare, ac inibi Vicariam, seu administrationem praedictam erigere, & instituire, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

§.3. Nos igitur, qui fidei cultum, & incrementum, ac locorum quorumlibet salutarem directionem cum animarum Christianifidelium salute, & spirituali consolatione intentis desideramus affectibus, quacumque alias dismembrationes aliarum Provinciarum, & locorum ab Ecclesia, & Dioecesi praedictis haecenus apostolica auctoritate factas praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati ad omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriosissimae ejus Genitricis Mariae totiusque curiae caelestis honorem, & ipsius fidei catholicae exaltationem, dictam Provinciam de Pernambuco cum illius Territorio, Oppidis, Villis, locis, nec non Clero, Populo, & personis, ac Monasteriis, Ecclesiis, Collegiis, & piis locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum regularibus ab Ecclesia Sancti Salvatoris, & Dioecesi praedictis perpetuo separamus, & dismembramus ab omni Jurisdictione, subjectione, superioritate, correctione, visitatione, & potestate pro tempore existentis Episcopi S. Salvatoris, ejusque Vicariorum, & Officialium, ac a solutione quorumcumque jurium eidem Episcopo, & dilectis filiis Capitulo dictae Ecclesiae Sancti Salvatoris per Clerum, Populum, & Personas Provinciae de Pernambuco hujusmodi, ratione subjectionis, jurisdictionis, superioritatis, aut visitationis etiam Dioecesis, ita quod de cetero praedictus Episcopus Sancti Salvatoris aliquam Jurisdictionem spirituales, praeterquam in his, quae sunt Ordinis, ac demptis inferioribus expressis, in oppida, terminos, territoria, villas, & loca, ac Clerum, Populum, personas, Monasteria, Ecclesias, & loca pia, nec non beneficia sub separatione, & dismembratione hujusmodi comprehensa exercere, nec eadem Beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut alias disponere, vel fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta per eum in Provincia de Pernambuco, illiusque terminis, Territoriis, Oppidis, Villis, & locis praedictis ra-

tione visitationis, aut legis Dioecesanae percipere nullatenus possit, dicta auctoritate, etiam perpetuo eximimus, & totaliter liberamus.

§.4. Ipsamque Provinciam de Pernambuco sic dismembratam, & separatam in Vicariam, seu administrationem spirituales Provinciae de Pernambuco nuncupandam pro uno Presbytero seculari, vel cujusvis Ordinis regulari Vicario, seu administratore in spiritualibus Provinciae de Pernambuco nuncupando in Theologia seu Decretis graduato, vel alias praevio examine, seu Judicio deputatorum Senatus mensis Regiae Conscientiae, & Ordinum Militiarum, in quo quamplures Viri tam seculares, quam regulares literarum scientia, & virtute insignes reperiuntur, habili, & idoneo ad alios docendum, approbato, & per ipsum Philippum, & pro tempore existentem Portugalliae, & Algarbiorum Regem perpetuis futuris temporibus, & hac prima vice liberare, nullius ad hoc requisito consensu, etiam ad tempus sibi benevisum deputando, & constituendo.

Ipsamque in Vicariam erigit pro Presbytero a Portugalliae Rege nominando.

§.5. Qui deputationis, & constitutionis hujusmodi vigore absque alia Romani Pontificis, vel Episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentium, aut cujusvis alterius confirmatione, approbatione, licentia, vel consensu curam, regimen, & administrationem Provinciae de Pernambuco, & Cleri, & Populi tam christiani, quam gentilis, necnon Oppidorum, Terrarum, & locorum in illius districtu, limitibus, terminis, & locis praedictis consistentium habere, & inibi praedicare, & praedicari facere, gentilesque praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare, & conversos in eadem fide instruere, & confirmare, eisque baptismi gratiam, & confirmationis sacramentum impendere, & tam illis sic conversis, quam aliis omnibus fidelibus in Provincia de Pernambuco, ac illius Oppidis, Terris, Villis, Locis, Territoriis, limitibus, & tam praedictis pro tempore degentibus, & ad ea declinantibus sacramenta ecclesiastica, & alia spiritualia munera, non tamen ea, quae sunt Ordinis, ut praefertur, ministrare, & administrari etiam facere, & procurare, & quacumque beneficia ecclesiastica sub separatione, & dismembratione hujusmodi comprehensa, & quae antea ad ipsius Episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, conferre, & de illis disponere, ac in eis instituire, calices, campanas, vestimenta, corporalia, & alia paramenta, & ornamenta consecrare, & benedicere, Ecclesias, Coemeteria, & loca ecclesiastica sanguinis, & feminis effusione, seu aliis quomodolibet polluta, vel prophanata aqua per seipsam benedicta reconciliare, ipsaque Ecclesias, & loca sub Provincia de Pernambuco praedicta comprehensa, & illorum personas visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, de-

Facultates hujusmodi Vicarii quae sunt.

Ista, & disciplinam tam in capite, quam in membris inquirere, nec non evangelicæ, & apostolicæ doctrinæ, factorumque Canonum, & generalium Conciliorum decretis, & institutis inherendo, quæcumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire, & etiam de novo condere, nec non beneficiales, matrimonialesque, & quascumque alias causas ecclesiasticas, & civiles, ac ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentia motas, & incoatas, & interim motas cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, audire, decidere, & sine debito, prout juris fuerit, terminare, seu causas ipsas alii, vel alius idoneis modo, & forma prædictis, cum simili, vel limitata potestate pariter audiendas, decidendas, & terminandas delegare: ac denique plenam, meram, & omnimodam spirituales, & ecclesiasticam, ac ordinariam jurisdictionem tam in foro interiori, quam exteriori habere, & eam, ac omnia alia, & singula, quæ pro tempore existens Episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus habere, gerere, & exercere debuit, potuit, & convenit, similiter, & pariformiter, nullaque proflus differentia, exceptis tamen iis, quæ, ut dictum est, sunt Ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum Cleri, & Populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere, & exequi cum omnibus, & singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, jurisdictionibus, præminentis, favoribus, gratiis, & indultis, qui in de Ormuz, & Mozambique, ac Cofala, nec non Malaca, aliisque Provinciis, & locis erectæ administrationes, & illarum pro tempore deputati administratores similiter ordinariam, ut præfertur, jurisdictionem inibi habentes utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate, & teore prædictis similiter perpetuo erigimus, & instituiamus.

Clauſula.

§.6. Decernentes, præſentes literas nullò unquam tempore ex quavis causâ, etiam quod prædictus Episcopus Sancti Salvatoris, aut quomodolibet intereff. habentes ad hoc vocati minime fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut in jus, vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos juris, aut quodvis aliud gratiæ, vel juris remedium impetrari posse, nec causas, propter quas præmissa concessa fuerunt, minime verificari, nec ob id viribus carere, minufque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam eis in toto, vel in parte derogantibus, vel obviari, etiam a Nobis, & dicta Sede quomodolibet pro tempore

emanatis, nullatenus comprehendendi, sed semper validas, & ab illis proflus exceptas, & quoties illæ emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendendi viderentur, tones in pristinum, & eum, in quo, antequam illæ emanassent, statu restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse, & censeri, & ad hoc, ut sub illis non comprehendantur, vim valdi, & efficacis contractus inter Nos, & dictam Sedem, ac Philippum, & pro tempore existentem Regem prædictum iniri, & stipulati, & omni tempore suos plenarios, & integros effectus sortiri: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Obſtantibus derogatur.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non dictæ Ecclesiæ Sancti Salvatoris, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac fundatione, erectione, & institutione, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesiæ Sancti Salvatoris, & illius Præsuli pro tempore existenti, ac prædictis Capitulo, & aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata inserti forent, præſentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Populi Provincie de Pernambuco in iis, quæ requirunt caracærem Episcopalem Episcopo S. Salvatoris subiciuntur.

§.8. Volumus autem, ac statuiamus, & ordinamus, quod Clerus, & Populus, aliique Incolæ, & habitores tam sub præſentibus erectæ Provinciæ de Pernambuco, quam de cætero earundem præſentium vigore erigendis Vicariis, seu Administrationibus prædictis comprehensi, & comprehendendi in his, quæ sunt Ordinis, ut præfertur, ad prædictum Episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem, habitis tamen a suis Vicariis, seu Administrationibus ad id literis dimissorialibus, recurrere teneantur.

Prove etiam Vicarii ratione personarum suarum.

§.9. Quodque Provinciæ de Pernambuco, & alii præſentium, vigore pro tempore

pore deputati Vicarii, seu Administratores ratione personarum suarum dumtaxat visitationi, correctioni, superioritati, & jurisdictioni prædicti Episcopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint, & a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentium, & quarum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, per ipsos Vicarios, seu Administratores, seu eorum Officiales pro tempore latis appellationes ad eundem Episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causæ per eum cognosci, decidi, & sine debito, prout juris fuerit, terminari possint.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 12. Augusti 1611. Pontificatus nostri Anno VII.

CLXXVIII.

Declarat, Collectas exigendas esse, ubi sita sunt possidentium bona, non autem in loco eorum Domicilii.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Romans Pontifex in suprema Beati Petri Sede constitutus auctoritatis suæ partes adhibere solet, ut quæ iustitia, & æquitas exigit, ab iis maxime, qui sub suavi ejusdem Sedis temporalis ditionis iugo vivunt, inviolatè observentur.

§.1. Accipimus siquidem, quod licet à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus gravaminibus sublevandis Populorum apostolicæ Sedi subjectionum præpositis causa cognita, decusum non semel fuerit, quod Collectæ, quæ pro oneribus realibus imponuntur super bonis stabilibus, in locis, ubi bona ipsa sita sunt, nulla habita ratione loci Domicilii possidentium, solvantur; Nihilominus aliquæ Communitates, Universitates, & forsan particulares persone Apostolicæ Sedi in temporalibus subiectæ, prætextu diversorum privilegiorum illis concessorum decisionem generalem desuper factam, & sæpius iteratam nondum acceptantur.

§.2. Quare Nos ad evitandam confusionem, & lites, quæ ob alienationem bonorum, & frequentem mutationem Catastri cujuslibet loci in dies oriuntur, de consilio eorumdem Venerabilium Fratrum nostro S. R. E. Cardinalium, apostolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo statuiamus, & ordinamus, quod Collectæ, quæ pro oneribus realibus imponuntur super bonis stabilibus, in locis, ubi ipsa bona sita sunt, non autem ubi possidentes dicta bona habitant, persolvantur, ita ut si Cives possideant in Comitatu, vel è contra Comitatus in districtu Civitatis, habita ratione bonorum, non autem possidentium dicta bona Collectæ prædictæ in Civitate, vel in Comitatu, *Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.*

Ex Regest. in Secret. Brev.

Exordium.

Causæ faciendæ declarationis.

Declaratio de qua in rubrica.

mitatu solvantur, & solvi sine ulla exceptione debeant.

Clauſula.

§.3. Sicque ab omnibus, & singulis Communitatibus, Universitatibus, & hominibus prædictis perpetuo observari, & ita, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque Communitatum, & locorum statutis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis, illis, eorumque habitatoribus, & Incolis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda esset, illorum tenores præſentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda notet.

§.5. Et quoniam difficile foret, præſentes nostras omnibus, ad quos pertinet præſentari; idcirco volumus, ut earum exempla etiam impressa, manu alicujus Notarii publici subscripta, & sigillo persona in dignitate ecclesiastica constituta munita eadem fidem faciant in iudicio, & extra, perinde ac si præſentes fuissent exhibitæ, vel ostensa.

Dat. die 7. Octobris 1611. An. VII.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die septima Octobris 1611. Pontificatus nostri Anno VII.

CLXXIX.

Institutio Congregationis pro ubertate Annonæ, & Gratiæ, in Sedis Apostolicæ temporalis ditione, & in Urbe potissimum curanda, ultra Congregationem Cardinalium a Sixto V. erectam. Et concessio privilegiorum Agriculturam exercentibus.

Congregationem a Sixto V. erectam vide Constitut. CXVII. Immensa Tom. IV. Par. IV. fol. 392. Privilegia autem Agricultorum, & Præsuli Annonæ jurisdictionem legere est in Clementis VII. Inter.

PAULUS PAPA QUINTUS

Motu proprio &c.

Pastoralis officii cura Nos admonet, ut quæ ad Annonæ, & Gratiæ ubertatem, in ditione nostra temporalis, potissimum, *B* *vero*

Exordium.

vero in hac Alma Urbe nostra, ad quam in dies tanta hominum frequentia undique confluit, conservandam spectare noscuntur, intensiori animo amplectamur, ac quantum in Domino possumus, in primis providere studeamus, ut in Agro Romano, locisque finitimis Agricultura ars humano usui adeo necessaria nullatenus deferatur. Licet enim quamplures Prædecessores nostri Romani Pontifices eadem sollicitudine ducti, in hanc rem diligenter incumbentes, plura remedia, & provisiones adhibere, privilegia concedere, ac subsidia parare curaverint, quibus tum rei frumentariæ, tum aliarum rerum Annonam, & Grasciam concernentium ubertas, nedum conservari, sed augeri facile posset, hominum tamen culpa, quod non sine animi nostri perturbatione recensemus, frustratoria cuncta redduntur.

§. 1. Quapropter Nos tamquam paternis a Domino super familiam suam constituti, summo opere cupientes, quantum in nobis est, nostra vigilantia hisce malis occurrere, dormientes Agricolas excitare, ac opportune etiam providere, ut Annonæ, & Grasciæ negotium universum in futurum bene, provideque geratur, Agriculturae exercitium uberius fiat, necnon frumentum, & aliarum rerum ad communem vitæ usum, & sustentationem necessariorum copia, in ipsa Urbe, & reliquo Statu nostro temporali semper suppetat. Cum vero populi promerentibus peccatis, ob terræ sterilitatem, seu alias Annonæ, vel Grasciæ in aliquo incommodi, seu angustiae incidere, ut viri prudentes sint, qui eam cito sublevent, congruaque remedia subministrant;

§. 2. Motu simili, ac ex certa scientia, & deliberatione nostris, ac de apostolicæ nobis attributæ potestatis plenitudine, Congregationem Prælatorum, Officialiumque, & egreiorum virorum pro ubertate Annonæ, & Grasciæ curanda instituimus, in qua dilecti filii Thesaurarius noster Generalis, ac Annonæ Præfectus, & Grasciæ Præses, necnon Camerae Apostolicæ Commissarius Generalis pro tempore existentes a nobis deputati, & dilectus filius Joannes Baptista Costaguta Januensis familiaris noster, seu alius a nobis ad Congregationem hujusmodi deputandus, personaliter interfuit, & quintodecimo quoque ab eis statuendo die in unum conveniant, ac de arte Agriculturae restituenda, & augenda, laboreris, & pascuis dividendis, atque vendendis, & de statu Annonæ, & Grasciæ hujusmodi, rebusque omnibus illam concernentibus invicem conferant, tractent, & diligenter perpendant, & quod ab eis, seu majori parte matura consultatione præhabita fuerit resolutum, nobis referant, ut quid pro publica utilitate statuendum sit, providere possimus, firma remanente in rebus arduis Congregatione S. R. E. Cardinalium super ubertate ejusdem Annonæ a fel. record. Sixto Papa V. Prædecessore nostro instituta.

§. 3. Præterea agnoscentes, quantum

Causæ hujus sollicitudinis

Institutio Congregationis, ad curandam ubertatem Annonæ, & Grasciæ, quæ tunc die cogenda.

Prohibitio mercandi Bo-

ad agros excolendos, artemque Agriculturae conservandam, boves aratorii necessarii sint, motu, scientia, & potestate similibus, omnibus, & singulis personis tam Ecclesiasticis, quam secularibus cujuscumque gradus, & conditionis, etiam S. R. E. Cardinalibus, necnon Principibus, Ducibus, Baronibus, & aliis quacumque dignitate, titulo, & prerogativa suffultis, ne boves aratorios, seu ad arandum aptos, etiam nondum domitos, præcipue autem decem annis minores pro usu macellorum, sive Urbis, sive quarumvis aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjeutorum, vel ad effectum incontinenti, vel in aliud tempus macerandi, emere, vendere, aut aliquem contractum, seu pactum inire, sub amissionis bobum, & quingentorum scutorum Camerae nostræ Apostolicæ applicandorum poena.

§. 4. Necnon Dohaneris, & Gabellaris etiam Urbis, ac quorumvis aliorum Civitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, eorumque Officialibus, & Ministris, aliisque ad quos spectat, sub aliorum quingentorum scutorum eidem Camerae, ut præfertur, applicandorum, aliisque etiam corporalibus pro qualitate personarum, & excessuum, arbitrio Annonæ Præfecti penis irrogandis, & moderandis, ne assignationem, notam, seu solutionem aliquam Dohanæ, seu Gabellæ, pro venditione, vel contractu bobum quorumcumque, etiamvis aratorii, vel ad arandum apti non sint, recipere, nisi prius dictos boves, super quibus contractus initus fuerit, tam ipsi, quam Commissarius ad id ab Annonæ Præfecto deputatus diligenter inspexerint: ubi vero eos aratorios, vel ad arandum aptos esse cognoverint, contractum aliquem sub eadem poena nullatenus admittent.

§. 5. Lanis vero, & aliis animalium maceratoribus, ne sub eisdem, & etiam fustigationis penis ejusdem Præfecti arbitrio irrogandis, boves aratorios, vel ad arandum aptos hujusmodi, macerare audeant, vel præsumant, districtius prohibemus.

§. 6. Ac quascumque ordinationes tam per Nos, & Prædecessores nostros Romanos Pontifices, quam ejusdem S. R. E. Camerarios, & Annonæ Præfectos, desuper factas, seu editas, illarum tenorem præsentibus etiam pro expresso, & inserto habentes, approbamus, confirmamus, & innovamus:

§. 7. Mercatores autem, & quivis alii greges, seu armenta vaccarum albarum habentes, ad quotannis juvenos viginti quinque pro quolibet centenario vaccarum hujusmodi ad usum artis Agriculturae educandum, nec non ad veram earumdem vaccarum quantitatem, quam habent, in principio cujuslibet anni eidem Annonæ Præfecto notificandum, & assignandum teneri, statimus, & mandamus, & ad id sub scutorum quingentorum, aliisque etiam gravioribus penis ejusdem Præfecti arbitrio irrogandis etiam compellantur.

ver aratorios vel ad arandum aptos ad effectum macerandi.

Dohaneris non recipiant gabellam pro contractu quorumcumque bobum, nisi ipsorum, & Commissarii Præfecto Annonæ, deputandi prævia inspectione.

Lanis, & alii non macerent boves ad arandum aptos.

Constitutiones prædecessorum desuper editas confirmantur.

Juveni 25. excendi Vaccis albis ad usum artis Agriculturae quotannis nutrantur & numeru Vaccarum. Præf. So. aff. gnetur.

In-

Vassalli ubi voluerint agros colere possunt non obstante quocumque Dominorum privilegio.

Privilegia exercitium artem Agriculturae confirmantur, in his que hanc Bulla non advertebantur.

Eisdem in territorio Urbis, Latii, Campaniæ, & Maritimiæ Provinciarum facultas extrahendi frumentum certo modo conceditur.

§. 8. Insuper, ut artis Agriculturae exercitium latius patere possit, Agricultorumque & Colonorum copia sit, nec illorum numerus minuat, prohibitioni aliâ a rec. me. Clemente Papa VIII. similiter Prædecessore nostro per suas literas desuper factâ inhærentes, illamque extendentes, & ampliâtes, volumus pariter, & declaramus, quod quicumque etiam Ducum, Baronum, Domicellorum, Principum, & etiam ejusdem S. R. E. Cardinalium, aut alia quacumque temporali, vel ecclesiastica dignitate fulgentium, Vassalli, seu subditi, quo eis placuerit, ad laborandum, & colendum agros accedere possint, nec ipsi etiam in propriis terrenis Ducum, Baronum, & Domicellorum suorum, etiam Principum, & S. R. E. Cardinalium, aut alias, ut præfertur qualificatorum inviti laborare cogantur, aut quo minus ad loca eis benevisâ ad laborandum, & colendum, etiam cum eorum bobus, & animalibus accedant, ab eisdem Ducibus, Baronibus, Domicellis, & etiam Principibus, & S. R. E. Cardinalibus, aut aliis, ut præfertur qualificatis, eorumve Officialibus, Agentibus, Factoribus, & Ministris, sub confiscationis honorum, & feudorum, ac etiam excommunicationis late sententiæ poena, directe, vel indirecte impediri possint, seu debeant, etiam prætextu quorumvis privilegiorum, & indulgentiarum eis concessorum, aut consuetudinum, vel etiam juramentorum, quæ tamquam contra publicam utilitatem inducta quoad hoc tollimus, & abrogamus.

§. 9. Ut autem mercatores, & alii quicumque ad agros excolendos, artemque agriculturae exercendam eo magis alliciantur, & invitentur, illos gratis, & favoribus prosequentes, omnia, & singula indulta, & privilegia in favorem artem prædictam exercitium per Nos, & Prædecessores nostros quomodolibet hætenus concessa, quoad ea, quæ præsentibus non advertebantur, confirmamus, & approbamus.

§. 10. Item omnibus Agricultoribus, Mercatoribus, & Colonis, qui tam in propriis, quam in alienis, & conductis terris, in Territorio, & districtu Urbis, necnon Latii, Campaniæ, Maritimæque Provinciis agriculturam exercuerint, & sementem fecerint, singulis annis, quibus pretium, & valor frumenti communiter in Urbe, per ipsos Agricultores, & Mercatores vendendi a tempore messis, & recollectionis usque ad Kal. Martii, cujuslibet anni summam Juliorum quinquaginta quinque in singula rubra non excesserit, quintam partem totius frumenti per ipsos eodem anno recollecti, deducto tamen semine, ad quævis loca, præter infidelium, & S. R. E. hostium, terra marique libere extrahendi, & transportandi, seu extrahi, & transportari faciendi facultatem concedimus, & hoc etiam intelligi volumus de frumento, quod Domini, & Locatores tenentur, seu terrarum a conductoriibus receperint, quatenus tamen eorum tentas, & terras ad frumenti recolligendi quotam, & non aliâs locaverint, & dum-

modo quota hujusmodi quintam partem prædictam non excedat: si autem qui aliter quam ad quotam tentas, seu terras locaverint, hujusmodi extractionis beneficio pro frumento ab eis exigendo frui minime possint. Dicitur autem extractionis licentia de mense Martii cujuslibet anni, & non prius concedi debeat a Congregatione prædicta, ac præcedente Chirographo a Nobis subsignato, solutis tamen prius Camerae nostræ Apostolicæ Julii quinque pro quolibet rubro extrahendo. Quod si aliqui prædicti ob maris distantiam, seu aliâs quantitatem frumenti permissam extrahere nequiverint, seu noluerint, facultatem, & privilegium extractionis hujusmodi aliis ad rationem Juliorum quinque pro quolibet rubro vendere, seu cedere valeant. Si autem per Nos, vel Successores nostros, Cameramque, aut Annonæ Præfectos ex quavis causâ dictam licentiam impediri contigerit, teneatur ipsa Camera eidem Agricultoribus, seu Dominis tenenturum, seu terrarum, pro interesse dicti impedimenti summam Juliorum sex pro quolibet rubroolvere, libere, & absque ulla proorsu exceptione, dummodo tamen totum eorum frumentum ad Urbem conduxerint, seu licentiam obtinuerint illud extra Urbem dimittendi sub obligatione ad Urbem conducendi, & data nota summæ, & loci, ubi dictum frumentum repositum fuerit.

§. 11. Ac eisdem Agricultoribus, & Agriculturae artem exercitibus, præterea de aliquo subventionis auxilio providere volentes, quo facilius arti hujusmodi incumbere, pecuniasque minori interfusio habere valeant, motu, scientia, & potestate similibus dilectis filiis Provisoriibus Saceri Montis Pietatis Urbis, eorumque Ministris, ad quos spectat, per præfatos districtus præcipiendo mandamus, ut cuilibet vero Agricultori usque ad summam mille scutorum monetæ, seu aliam a Præfecto præordinandam, accepto eodem emolumento duorum pro centenario nomine meriti, seu aliâs ab aliis ratione expensarum solvi consueti, & accepto idoneo, & sufficienti pignore, aliisque ejusdem Montis legibus, & institutis hætenus observari solitis, adimpletis, & observatis debeant mutare, de licentia tamen Præfecti Annonæ prædicti, & non aliter, & cum conditionibus, & clausulis ab eo præscriptis, dummodo illæ Montem prædictum majori quam prædicto onere non afficiant. Qui quidem Annonæ Præfectus antequam Agricultorem ad hujusmodi commodum admittat, licentiamque expediat, quantitatis laboreris, & qualitatis personæ rationem habeat, dictamque licentiam opportunis temporibus tantum, & pro ea summa, quæ sibi videbitur necessaria, dummodo quantitatem mille scutorum prædictam non excedat, concedet. Summa autem mille scutorum prædicta de ordine ipsius Congregationis pro qualitate personæ, & laboreris ejusdem Congregationis arbitrio, etiam usque ad summam bis mille scutorum, augeri possit, Sic-

Subventio nem sc. 1000. vel alterius summe a Præfectis Annonæ decernenda pro sub emolumento eisdem dari præcipitur.

B 2

que

Bullar. Rom. Tom. V. Par. IV.